

in proximo Pascha. Quod si egritudine detentus fueris, tales monachos mitte, qui tuam causam diligenter in nostra presentia tractent. Vale in Christo.

18. Qui, apostolicis obaudiens preceptis, Romam tendit. Sed eum, quem cupierat, viventem non repperit. Suscipitur tamen cum ingenti honore a Benedicto ¹⁾, tunc temporis pontifice, a quo et donatus est palleo episcopalis benedictionis, obtinuitque ut in ipsa beati Petri aecclesia anathematis coram omni populo feriretur censura vicecomes Bituricensium Gauzfredus, nisi satisfactione congrua ab eo absolveretur, nam denegabat ei aditum sedis prefatę urbis. Cui immo breve transmisit his compositum dictis. 19. Benedictus episcopus, servorum Dei servus, Gosfrido, vicecomiti Bituricensi, apostolicam benedictionem, si ea dignum se prebuerit. Gauzlinum archiepiscopum in ²⁾ propria sede consecratum pepulisse te audivimus, et quęque suo archiepiscopatu vel sibi pertinent ³⁾, ad proprium usum retorsisse ⁴⁾. In quo opere illis te reddis similem, qui dixerunt: 'hereditate possideamus sanctuarium Dei' ⁵⁾. Sed ego exspectans usque ad proximum sancti Iohannis festum, ut honorifice archiepiscopum in suo archiepiscopatu recipias, moneo; quod si usque ad conductum terminum, quę moneo implere distuleris, cantabo cum psalmo-grapho postea dicens: 'Deus meus pone Gosfredum ut rotam et sicut stipulam ante faciem ventis et sicut ignis, qui comburit silvam; imple faciem eius ignominia, ut querat nomen tuum, domine. Confundatur et conturbetur et pereat' ⁶⁾. Quin etiam excommunicatum te esse censemus apostolica censura.

20. Reversurus ergo Dei homo, quo cunctis panderet, cuius foret nobilitatis scientięque locus, quem regebat, Deo disponente, arcem capitolii ascendit, cathedramque sibi parari fecit. Tunc stipatus innumerabili multitudine dignitatis Romanę, explanabat allocutione sophisticę facundię, qui ritus, qui mores, qui cultus, quę leges priores eorum exornassent patres. Finitoque sermone habito pene a totius urbis fundatione, apostolica benedictione percepta, revertitur ad Gallias. Cumque rediret, duo argentea offendit candelabra, quę sexaginta librarum precio empta, miri quidem et pene imitabilis ⁷⁾ operis, huic laudabili attulit confessori. Cum quibus et reliquias sudarii domini nostri Iesu Christi, omni ornamentorum speciei preponendas, mille solidorum dono adeptas, Floriacensi loco intulit, nonis currentibus Ianuarii; timensque ne sub velamine simulatę veritatis quęlibet lateret fraus venditoris, medio ferventium iniectis prunarum, ac si aurum fornacis in antrum, inlese fulgentesque apparuerunt. Tunc suscipiens donum cęlitus sibi conlatum, nativum reppetit solum, fabricataque dextera auro gemmisque compacta, sanctarum reliquiarum inclusit exenia. Quam et versibus istis decorari fecit:

Gaudia laeta fer manus ista,
Sindone Christi plena refulgens.

1) Benedict VIII, seit 22. Juni 1012. 2) Hs.: im. 3) Hs. pertinet. 4) Hs.: retrosisse. 5) Psalm LXXXII, 13. 6) Psalm LXXXII, 14 ff. 7) Sic!